



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

21. Quid facere debeat Hæreticus occultus, qui absolutionem ab Episcopo,
vel Inquisitore obtinere non potuit? Ex p. 1. tr. 5. res. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXI.

Quid facere debeat hæreticus occultus, qui absolutionem ab Episcopo, vel ab Inquisitore obtinere non potuit?
Ex p.1. tr.5. Ref.4.

^{Sup. hoc sup. §.1.} **R**espondeo: Hæreticus occultus, qui non potuit per Confessarium obtinere facultatem ab Episcopo, vel Inquisitore, ut ab hæresi absolvatur, mittat Romam, ad majorem Pœnitentiarium: & intea, si talis expectatur facultas, observet ea, quæ de occulto excommunicato, non data de præsentia Confessarii copia tradunt, Navarr. in *Mamali*, c.27. n.239. & Henriquez lib.6. cap.15. n.7. Et ita docet Freitas in *addit. ad tract. de Confessor. sollicit. Episcop. Acugna*, Ref.43. pau-
^{Ref.43. pau-} ^{quisi. 2.1. n.18.} ubi asserit, nullum Authorem hunc callo post iniuncti, à veris.

^{Quod patet.} 2. Potest igitur, in tali casu, hæreticus occultus, ratione infamiae, vel scandali, si timeantur, dum Sacerdos est celebrare; si autem laicus, Eucharistiam sumere, eliciendo prius actum contritionis; & si non existimat se contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confessario absolvatur, ex doctrina probabili, quam docet Reginald. in *praxi tom.1. lib.8. cap.7. n.87.* & alij, quos citat Sanctius in *Sel. Etis. disp.32. n.11.* quidquid alij contradicant, cum Sanctio loco cit.

3. Sed aliqui plus addunt, (attendat Lector) etiam seculo scandalo, & periculo gravis infamiae, supradictum hæreticum occultum, procuratorem pro viribus absolutionem; sed propter paupertatem, aliudve legitimum impedimentum non valentem Romam adire, vel mittere, neque ab Episcopo, vel Inquisitore absolutionem obtinere, si verè poeniteat, & contritus sit, posse interim Missam celebrare, & Eucharistiam sumere, si laicus est; si, ut diximus, scandali, & infamiae timor adesset; & ita docet novissimè Fagundez de *Præcept. Eccl. tract.1. lib.3. cap.12. n.12.* cum sapientissimo sene Martino Navarro, adversus Franciscum Suarez in *3. p. tom.5. disp.9. sect.3. num.7.* quod est valdè notandum: & rationes adducit Fagundez. An verò hæc opinio sit probabilis, judicent viri docti: mihi enim non placet.

RESOL. XXII.

An legitimè impeditur adire Pontificem possit ab hæresi occultata absolvi ab inferiori Sacerdote? Ex p.4. tr.4. & Misc. Ref.242.

^{Sup. hoc lege §.1.} **A**d hoc dubium respondet Jacobus Granado in 2.2. D. Thome contra 1. tract.15. disp.16. ^{Ref. seq. & aliarum Ref. sect.4.} ubi m.18. sic asserit: Vix, aut ne vix quidem casus iste in praxi occurrere potest; nam si impedimentum sit articulus, vel periculum mortis, diximus, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab hæresi; extra hunc verò articulum, aut periculum, cum Episcopus juxta valdè probabilem sententiam possit absolvere, & idem probabiliter dici possit de Inquisitoribus, non deerit (moraliter loquendo) quin remedium habeat esto non possit adire Papam; sed si daremus, facultatem Episcoporum esse revocatam, & Quæsitores fidei non posse in foro conscientiae hanc absolutionem impendere, vera nihilominus sententia est, etiam quando adest legitimum impedimentum adeundi Papam, non posse hæreticum occultum ab ullo alio absolvi. Ita Granado, qui citat Sanchez, & Suarez: sed circa præsentem quæstionem vide me ipsum in *part.1. tract.5. resol.4.*

Quæ hic est
rel. anteceden-
dens & lege-
etiam §§.
ejus not.

RESOL. XXIII.

An qui laborat impedimento perpetuo, ita ut non possit adire Pontificem, possit absolvi ab hæresi, vel in dicto casu extra articulum mortis, an ad Inquisitores, vel ad Pontificem per Procuratorem, tacito nomine recurrendum sit? Ex part.8. tract.7. & Misc. Ref. sol.15.

Suppono sub articulo, vel periculo mortis comprehendendi quodlibet aliud impedimentum perpetuum ægritudinis, paupertatis, servitutis, &c. ita ut Confessarius possit absolvere poenitentem, cum ex dictis impedimentis non possit adire Summum Pontificem. Sed difficultas est, an hæc doctrina procedat etiam in casu hæresis, & negativè respondeo. Sanchez in *summa tom.1. lib.2. cap.13. n.37.* & Suarez in *de fide, disp.21. sect.4. n.26. in fine.*

2. Non desinam tamen adnotare, affirmativè sententiam ad hæresim Calstrum Palatum tom.1. tract.4. disp.3. n.5. & 6. ubi sic asserit, solum in extrema mine hæresis non audent plures Doctores hanc exceptionem concedere ob ejus singularem gravitatem, & rigorosam reservationem. Adduntque sic impedimento nullam suppetere viam se ab excommunicatione, vel Pontificem per litteras, vel procuratorem tacito nomine, siquidem Episcopo per Bullam revocata est facultas in Trid. concessa.

3. Fateor sola autoritate horum Doctorem hanc sententiam probabilem reputari. Nam si licet proferre, quod sentio, existimare sane æquè de hæresi, ac de aliis criminibus posse sic impedimentum absolvi, quolibet Confessario; quia potestas utendi hoc privilegio fundatur in necessitate poenitentis: at licet sit delictum grave, graviolem tamen necessitatem poenitens habet. Ergo non ob gravitatem hæresis limitandum est. Adde, quia, ut ipsemet Sanchez num.14. affirmat, & statim, dicemus, nullus tenetur in periculo mortis constitutus medio procuratore, aut litteris missis, absolutionis beneficium impetrare, quia nemo tenetur medium assumere, quo ejus delictum manifestari possit. Ergo neque etiam tenetur ad hunc illo perpetuo impedimento, quod mortis periculo æquivalet, assumere procuratorem, vel litteras facultatem procurare. Aliàs si propter gravitatem hæresis, & illius specialem reservationem deberet poenitens impeditus confugere ad Inquisitores, vel ad Pontificem per procuratorem, etiam in articulo mortis constitutus, deberet eam diligentiam adhibere. Neque videtur esse specialior ratio in uno, quam in alio. Hucusque Palaus.

4. At sententiam negativam cum Sanchez, & Suarez, docet amicissimus, & doctus P. M. Candelus tom.1. disp.3. artic.8. dub.5. num.5. ubi sic ait: Potestas absolvendi ab hæresi in articulo mortis, non est extendenda, ut possit quis absolvi alia ratione impeditus, puta paupertate, inimicitia, senectute, aut similibus impedimentis. Vnde in tali casu extra articulum mortis ad Inquisitores, vel ad Pontificem per procuratorem, aut litteras tacito nomine recurrendum est. Quia cum non exprimitur in capit. ea nescitur, de sententia excomm. & in aliis, casus hæresis non censetur in illo comprehendendi, propter strictissimam ejus reservationem. Ita Candelus.